



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 8. Argumentis contrariæ sententiæ, & quibusdam dubijs satisfit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Vno modo in re ipsa, alio modo loquendo etiam secundum nostros conceptus, seu iuxta modum nostrum concipiendi. Vtroque ergo modo recte explicatio vera est conclusio. Prior tamen sensus est precipue intentus, & in eo est maxime attendenda differentia inter relationes comparatas ad essentiam & essentiam comparatam ad relationes.

6. Probatur ergo assertio quoad priorem sensum.

Primo, quia diuinitas est de essentia Patris, quod nullus dubitat: ergo est de essentia Paternitatis, & idem est de ceteris personis. Probatur consequentia, quia in diuinitate comparantur abstractum, & concretum, vt nihil essentialiter includat vnum, quod non includat aliud. Praesertim quando sermo est de concreto immediato, & ad quato ipsi abstracto, vt infra cap. 10. & latius lib. 7. constabit. Et nunc breuiter declaratur, quia concretum, in Deo nihil aliud est, quam ipsa forma subsistens, propter summam Dei actualitatem, & simplicitatem. Si ergo in praesenti Pater nihil aliud est, quam ipsa Paternitas, vt passim loquitur D. Thom. praesertim qu. 28. & 29. primae partis: ergo Paternitas subsistens essentialiter includit, quidquid includit Pater. Est autem subsistens ex propria ratione relationis, vt supra ostensum est: ergo ratio illa in propria ratione sua necessario includit essentiam.

7. Secunda ratio sit, quia qualibet relatio diuina, Paternitas, v.g. est Deus, ergo est essentialiter Deus, ergo includit in suo conceptu essentialiter deitatem. Antecedens certum est, tum ex Concil. supra citatis, tum etiam, quia quidquid est in Deo, est Deus, vt est commune axioma Theologorum omnium, quia hoc necessarium est ad perfectionem Dei. Et probari etiam potest ex dictis supra contra Gilbertum. Secunda item consequentia manifesta est, nam impossibile est, aliquid esse essentialiter tale, nisi in suo conceptu essentiali includat tale praedicatum, seu formam, a qua illud desumitur.

8. Primam autem illationem aliqui negant, dicentes. Relationem esse identice Deum, non tamen essentialiter. Sicut e conuerso, Deus est Pater, & Deitas est Paternitas, & tamen non essentialiter, iuxta nostram sententiam, sed identice. Nihilominus in hac appellatione, seu in hoc praedicato, Deus, existimo consequentiam esse optimam. Quae probatur primo, quia quidquid est Deus, est summe perfectum, quod esse, aut concipi potest, sed maioris perfectionis est includere essentialiter deitatem, quam quocumque alio modo: ergo quidquid vere est Deus, est essentialiter Deus. Secundo, quia ipsamet denominatio Dei est denominatio essentialis: nam sumitur a natura essentialiter constituyente talem rem. Propter quod existimo, nihil esse in Deo, in quo non intime, & essentialiter non includatur diuinitas. Neque est simile, quod obieciatur, quia esse Patrem non est denominatio essentialis, sed personalis: nec Paternitas est talis perfectio, cuius essentialis inclusio necessaria sit ad summam perfectionem entis, loquendo, vt loquimur, formaliter de Paternitate, & non tantum eminenter, vt supra declaratum est.

9. Atque ex his facile probatur, & declaratur assertio in alio sensu, scilicet, in ordine ad nostrum modum concipiendi. Circa quam partem aduertere oportet, duobus modis intelligi posse vnum conceptum obiectiuum includi in alio. Primo, vt distincte, ac formaliter obiectum conceptui formali, id est, vt distincte, & in se consideratum. Secundo, vt confuse contentum, & inclusum in illo obiecto, quod distincte cogitatur. Priori modo non est dubium, quin possit cogitari a nobis distincte, & expresse Paternitas, non concipiendo distincte essentiam. Quod etiam in conceptu inferioris respectu superioris saepe contingit, quia nimirum ipsummet inferius non exacte penetratur, nec comprehenditur cognoscitur per talem conceptum: non ergo

loquimur in hoc sensu in praedicta assertione. Posteriori autem modo dicimus, necessario includi essentiam in diuina relatione, etiam prout a nobis concepta. Hoc enim necessario sequitur ex priori puncto. Primo, quia id, quod est essentialiter superioris necessario includitur dicto modo in conceptu inferioris, vt animal in conceptu hominis, ens in conceptu cuiuscunque differentiae, vel modi, quantumcumque simplicis: sed diuina essentia comparatur ad relationes, etiam abstracte conceptas, tanquam essentialis forma communis, non secundum rationem tantum, sed secundum rem, ergo saltem confuse necessario includitur essentia in conceptibus relationum. Secundo, declaratur in hunc modum, quia non potest concipi Paternitas diuina, quin in eius conceptu includatur esse ens reale: vel ergo includitur ibi ens creatum, vel increatum, non enim potest abstrahi, quia non agimus de ente in communi, sed de tali ente ordinis diuini, & in ipso Deo existente: tale autem ens non potest esse creatum, vt per se constat: ergo in conceptu suo includit, quod sit ens increatum, hoc autem esse non potest sine inclusione essentiae, vt superiori lib. ostensum est: ergo in illo conceptu necessario includitur essentia saltem confuse, vt declaratum est.

CAPVT VIII.

Satisfit argumentis contrariae sententiae, & duo dubia illorum occasione incidentia expediuntur.

Argumenta contra nostram sententiam obiecta in primis non procedunt contra eum sensum, quem ad rem ipsam pertinere diximus: quia omnia fundantur in modo nostro concipiendi, vt constabit facile attente illa consideranti. Quatenus vero applicari possunt contra alium sensum de modo concipiendi nostro, non difficile soluentur. Nam illud principium, in quo fundantur, scilicet, quod omnis conceptus includens alium communem, est resolubilis in duos, qui ad inuicem non se includant, est falsum. Estque optimum exemplum in transcendentibus, quae, & dicunt conceptum communem, & includuntur in modis, quibus suo modo contrahuntur, & licet eorum communitas non sit rei, sed rationis: id nihil obstat, quia non oportet exemplum esse in omnibus simile, neque in hoc mysterio inueniri potest, de illo vero exemplo videri possunt, quae dixi disp. 2. Metaph. per totam, maxime sectione vlt. Argumenta vero, quae contra hoc sunt, solum probant, conceptum communem posse praescindi ab inferiori, & ipsum etiam inferioris dupliciter posse a nobis concipi, scilicet, abstracte, & concrete, seu per modum totius, vel partis. Quod nos saepe facimus in rebus omnino simplicibus, etiam in re ipsa nihil includat conceptus vnus, quod non includat etiam conceptus alterius, vt patet in his, Deus, & Deitas, & in his etiam Ens, & Entitas. Et hoc etiam sufficit ad constitutionem diuinarum personarum, de qua postea aliter.

Solum propter quoddam testimonium Diuini Thom. ibi citatum dubitari potest, an haec sit vera locutio, Paternitas est essentia, & qualis sit. Et quoad priorem partem, D. Thom. supponit, illam locutionem esse veram, saltem identice ob summam simplicitatem. Quoad alteram vero partem dicit non esse per se. Et prior quidem pars manifesta est ex dictis, nec difficultate habet si in legitimo sensu accipiatur. Est enim aliquomodo ambigua illa locutio. Nam significari per illam potest, Paternitatem esse rationem essentialem Dei, & in hoc sensu falsa est, vt ex praecedentibus constat. Proprie vero significat, essentiam

esse communem, & Paternitati intrinsece, vel identice conuenire: Quod verissimum est. Altera pars de qualitate illius propositionis non caret aliqua difficultate, diximus enim Diuinitatem esse de essentia relationum: id autem, quod est de essentia, prædicatur per se. Dico ergo, si rem ipsam spectemus, reuera ita esse, D. Thom. autem considerasse formam prædicationis. Nam hæc abstracta significare videntur formales rationes præcisas, & proprias, & quia ratio formalis vnus extremi præcisè concepta, non est ratio alterius, ideo dixit D. Tho. illam propositionem non esse per se. Similiter dubitatio tractari solet à Metaphysicis de his abstractis, *humanitas est animalitas*, & quæ ibi dicuntur possunt hic applicari. Videatur in Metaphysica nostra disp. 6. sect. 10.

3. *Esse commune.* Vltimo dubitari potest, an saltem sit de essentia Diuinitatis esse communicabilem tribus personis, atque esse in illis. Et ratio dubitandi est, quia omnino prædicatum conueniens Diuinitati ratione sui, & non ratione relationis, est essentialis, sed esse communicabilem tribus personis conuenit Diuinitati ratione sui, ergo est prædicatum illi essentialis. Maior patet, tum quia illud est prædicatum absolutum. Tum etiam, quia non est personale, ergo est essentialis: non enim datur medium. Tum denique, quia conuenit illi ratione suæ infinitatis, quæ essentialis est. In contrarium autem est, quia prædicata essentialia sunt communia singulis personis (hinc enim supra probauimus, prædicatum relatiuum non esse essentialis) sed esse communicabilem tribus, vel esse in tribus de nulla persona dici potest: ergo non est aliquid essentialis. Et confirmatur, nam, hæc ratio, licet homo, vt sic, sit communis multis indiuiduis: nihilominus illa communitas non potest esse essentialis naturæ humanæ, quia in singulis indiuiduis illam non habet, ergo similiter, &c.

4. *Resolutio affirmatiua.* Respondeo breuiter, esse communicabilem tribus personis simpliciter loquedo esse prædicatum essentialis Diuinitatis, vt priora argumenta conuincunt. In hoc autem prædicato explicando, cauendum est, ne adiungatur relatio, tanquam intrinsece complex prædicatum: nam tunc iam non esset prædicatum essentialis sed notionale. Et huiusmodi existimo esse cum dicitur, *actu esse in tribus*. Quia hoc, *esse in*, non est modus realis diuinitatis distinctus ab ipsis relationibus: nihil enim aliud est, quam esse terminatâ tribus relationibus. Cum vero dicitur communicabilis tribus, nihil aliud explicatur, quam fecunditas, & infinitas ipsius Diuinitatis, quæ essentialis illi est, eamque habet, & vt præcisâ à personis, & vt existens in omnibus simul, eandemque retinet in singulis. Nam licet terminata sit per relationem vnus personæ, adhuc manet naturaliter communicabilis aliis personis.

5. Atque hoc satis est, vt tale prædicatum conueniat singulis personis, non enim habet conuenire illis, vt constitutus per suas relationes, sed vt habentibus talem naturam: & ideo necesse non est, vt persona dicatur communicabilis: sed habere naturam communicabilem. Neque est simile, quod asserbatur de communitate: quia non est illa proprietas realiter conueniens alicui naturæ, quæ in re ipsa uere, ac proprie vna sit. Quod si in natura humana indiuidua, & singulari consideretur, quod est communicabilis supposito, sic etiam est longe diuersa ratio, quia, vt sic, non est natura sua communicabilis multis suppositis, neque etiam est communicabilis per identitatem omnimodam cum ipso supposito. In hoc autem est aliqua similitudo, quod illa natura etiam existens in suo supposito, retinet illam proprietatem, quæ tamen non prædicatur de ipso supposito, ita ut ipsam dicatur communicabile, sed habere naturam tali modo communicabilem.

CAPVT IX.

Tres diuinas personas habere eandem perfectam vnitatem in omnibus attributis diuinis.

Hæc veritas resoluta fere est, in libro præcedenti: nam declarando, quæ prædicata multiplicentur in diuinis personis, diximus hæc non multiplicari. Vnde sequitur habere in eis illam vnitatem, & præfertim propter quandam difficultatem de omnipotentia, illam proponimus.

Dicimus ergo primo. Omnes diuinas personas habere omnia, & eadem numero attributa, quæ Diuinitati, seu Deo conueniunt. Hæc assertio est de fide, & ex Scriptura sumitur ex eisdem locis, quibus probatur diuinitas personarum. In Conciliis vero expresse traditur in Lateranen. in ca. *Firmiter*, & cap. *Dammamus*, & in Toletanis 6. & 11. in cõfessione fidei, & in Concilio Ephesino tom. 5. c. 22. vbi sic habetur. *Qualiter personarum Deus perfectus est, id est, omnibus proprietatibus Deitatis ornata esse uoluitur, & creditur*. Ex Patribus etiam omnes sæpe citati, maxime Damasc. li. 1. de fide c. 8. & sequentibus, Richard. de Sancto Victor. lib. 1. de Trinitate cap. 11. & lib. 3. ca. 22. Sic etiam dicit Ambros. lib. 1. de fide c. 2. *Vnitatis potestatis excludit numeri quantitatem*. Quod idem proportionaliter dici potest de quolibet attributo. Denique hoc concludi potest ex dictis de vnitare Diuinitatis, nam vna Diuinitas vnum habet intellectum, vnam voluntatem, & sic de aliis attributis: ergo quæ habent vnitatem numericam in Diuinitate, eandem necessario habent in omnibus attributis. Deinde, hic valet locus argumentandi ab vnitare in tertio, ad vnitatem inter se, vt in diuinis argumentatur etiam aliquando D. Thom. 2. contra gent. c. 9. Quia hæc attributa non habent inter se oppositionem, & ideo adæquate identificantur Diuinitati, ac subinde etiam idem sunt cum omni illo, cum quo identificatur Diuinitas.

Secundo dicendum est, omnia hæc attributa esse de essentia singularum personarum, & relationum, licet relationes non sint essentialis illis. Hæc assertio sequitur ex dictis, & cum eadem proportione est intelligenda, nam omnia prædicata, quæ realiter intrinsece, ac necessario dicuntur de diuinis personis, aut notionalia sunt, aut essentialia. Quod hic annotare volui, vt intelligatur, quam sit falsa sententia eorum, qui negant, hæc attributa esse de essentia Diuinitatis, seu Dei, vt Deus est. Nam si sunt de essentia personarum, necessario erunt de essentia Dei, vel fingere necesse sit per relationem in huiusmodi prædicatis diuinis, præter notionalem, & essentialem contra omnes probatos Theologos, & contra modum loquendi Patrum, & Conciliorum, & contra rationem: quia quidquid non est de essentia, vel de persona, accidentale est. Sed de hoc latius alibi, & videri possunt quæ dixi in disp. Metaphysicæ.

Tres vero difficultates occurrunt. Prima est de hoc attributo, *Esse omnino improductum*, quod conuenit Deitati, seu huic Deo, vt sic, & in illo non conuenit omnes personæ, imo nulli conuenit, nisi soli Patri, & tamen est attributum essentialis, cum conueniat Deo ratione Deitatis. Et hinc etiam dubitari potest de attributo æternitatis: nam licet conueniat omnibus personis, quatenus dicitur durationem sine principio, vel mutatione: tamen quatenus dicitur necessitatem essendi, non videtur conuenire personis omnibus eo modo, quo conuenit huic Deo: nam Deo conuenit à se, & sine productione, non vero personis omnibus.

Hæc difficultas faciliem habet solutionem: ita enim de illo attributo, *improductum*, quatenus absolutum est, iudicandum est, sicut in præcedenti capitulo dixi.